

tanq̄ impietatis damnatus, illam rationem conscripisse. Græci uocāt  
 περισπωσιμὸν κύκλου, unde non, ut opinor, ineptiss. quadraturam latine fe-  
 cerunt. Sed hanc rem multis seculis post Archimedes putatur diligen-  
 tia summa exquisiuisse. Siquidem Anaxagoram constat Periclis tem-  
 poribus uixisse, qui & auditor fuerit illius. Ita inter Archimedem &  
 Anaxagoram ferè intercident anni ducenti octoginta octo. Possent  
 alij nominari, ut Antipho, Briso, Hippocrates, Apollonius, qui & ip-  
 si hoc spaciū decurrissent, mensurationis curuæ lineæ ad regulā. Sed  
 proxime Cardinalis Cusanus hanc quasi prouinciam gnauissime ad-  
 ministravit, rei difficilis, & ut ignoratæ, ita opinor effugientis captū  
 humanū, quāuis cognitione comprehendi posse Aristoteles scripse-  
 rit, inuenisse rationem professus. Cuius breui libello summā, eandēq̄  
 breuiori dialogo exposuit. Quæ Ioanni nostrati acutiss. ingenij ho-  
 mini cum non probarentur, instituit in illa quasi inquisitionē quandā  
 ad Paulum Florentinū illis temporibus in omni genere scientiarū pe-  
 ritum. Cum autē neq̄ gloriæ neq̄ emolumentis spe, multoq̄ adeo mi-  
 nus inuidia incitatus, hoc opus suscepisset, ne nominauit quidem ferè  
 Cusanum, tantum abest, ut illius aliquem famæ labem aspergere cona-  
 tus fuerit. Reliquimus autem omnia in Regiomontani scripto, sicut  
 in archetypo ab ipso informata quoq̄ alicubi tantū offendimus, iucun-  
 dam futurā rati studiosis non cognitionē modo eorum, quæ ille acu-  
 tiss. exquisiisset, sed exquisitionis etiam quasi uiam & rationē, atq̄  
 adeo non solum quid autor effecisset libenter uisuros, sed quos etiam  
 habuisset inter opus cogitationes & animi motus. Accipies igitur à  
 nobis doctiss. uir & hunc libellum exiguum munusculum, & admit-  
 tes testimonium de te nostrum grato libentiq̄ animo. Et nos, ut fecis-  
 se te comperimus, ita perges tua beneuolentia complecti. E Norico-  
 pridie idus Iulij, anno M. D. XXXIII.